Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 993
Quelle:
Copyright:

Item: *Hoc tumulo pauſat quem multum patria laudat*
Fritelo cui requiem quisque precetur amen.

Tria item manu aliquantum recentiore adjecta:

Me gotfrid ſancte preſul dedit ecce marie
Munere pro tali teneas pia gaudia celi
Quo reſidet regum rex omni laude per euum
Imprimat omnipotens hoc celi nomen in arce.

In Flauello Verſus.

Ardorem ſolis placida compeſco ſub umbra &c.

In velo ſuper feretrum.

Hoc ſubter iaceant defuncta cadauera fratrum &c.

IV. *fol.* 60. manu Sec. XIII. *Ivonis* Ep. *Carnotenſis*, qui a. 1115. fatis ceſſit, *Epiſtolae* CC. quarum praeeunt *Summaria*. Editae ſunt omnes, proceduntque ordine, quo impreſſae leguntur, niſi, quod ibi recentius aut ſeparatim inventis interpolentur. Chorum ducit *Urbani* II. Epiſtola ad Clerum et Populum *Carnotenſem*, quae incipit: *Nos quidem tam pro beate Marie ſemper virginis deuotione* &c. Claudit Epiſtola *Ivonis* ad *Turgedum Abrincenſium* Ep. hoc initio: *Quoniam cum patitur unum membrum* &c. atque haec in edit. *Pariſ.* 1647. p. 115. eſt numero CCLXX. Ad calcem adtexta eſt *Epiſtola Johannis* VIII. Papae ad *Anſelmum limoginae* (Lemovicenſis) eccleſiae Ep. de Patre, qui prolem ſuam moribundam baptizaverat, quae incipit: *Ad limina apoſtolorum beati petri et pauli principum* &c. et habetur inter *Johannis Epiſtolas* T. XI. Collect. Concill. *Labb.* edit. *Venet. col.* 119. numero CLXXXVIII. Sequitur Epiſtolam hanc continuo *Formula* quaedam *Accuſationis*, quam adſcribo: *Sanctiſſime pater eccleſie ſalus infirmarum medicus animarum dignare peccatori penitentiam de criminibus agenti ſolitam pietatis gratiam adhibere. En ego omnium ſceleratiſſimus duas ebeu ſorores inceſtaui. ideoque intelligens quantum creatorem offenderim animarum compunctus penitentia ad te domine confugi. ut debitum pondus meę penitentię per manum tuę pietatis alleuietur.* Epiſtolarum *Ivonis* lectio proba eſt.

V. *fol.* 148. Praeeunte *M. T. Ciceronis Somnio Scipionis* ſequitur *Aurel. Macrobii Ambr. Theod.* qui ineunte Sec. V. ſcripſit, in Illud *Commentarius*, ab antiqua manu praenotatus: *Edi-*